



Basilius qui & Veselius dicebatur, apud Groningenses in Phrygia natus & educatus est. Is post prima literarum & artium fundamenta in patria percepta sese Lutetiam contulit, & diligenter operam philosophiae & Theologiae impendit. partem etiam temporis in Hebraica & Graeca lingua perdiscenda consumpsit. Vnde factum ut in virum doctissimum evaserit, atque Theologie Doctor creatus sit. Is postea in patriam reuersus, mirum in modum felici ingenio Rodolphi Agricolae adolescentis delectabatur, atque eum aliquoties in rebus abstrusioribus instituit. Vnde Rodolphus eius doctrina incensus, quoque linguis operam dare coepit.

Cum Basilius in Gallia extiterat, in quorundam Basiliensium iuuenum familiaritatem peruererat. Itaque ob eorum amorem sese Basileam contulit, atque ibi dem liberales artes una cum linguis & Theologia exposuit. Inter alia uero Romanæ ecclesiæ errores deplorauit, atque gratuitam iustificationem per fidem inculcauit. Purgatorium etiam & Indulgentias planè improbauit. Testatur Capnus Reuchlinus, qui adolescentis eum Basileæ profitentem audierat, hunc Basilium Graecam & Hebraicam linguam mediocriter calluisse. Id quod eo tempore 1470 erat in Germania rarissimum. præterea quod idem in Theologia, Medicina, & reliqua Philosophia facile omnibus illius ætatis professoribus ante celluerit, & lux mundi dictus fuerit. Postea uero Basilius sese domum contulit, atque ibidem magna laude in patria sacras literas exposuit. ubi etiam mortuus, quiescit. Philip. Melanchth. in uita Rodolph. Illyr. in catal. test. ueritat.